

## **Petri Cvnæi de Repvblica Hebræorum Libri III**

**Cunaeus, Petrus**

**Lvgd. Batavor., 1632**

Cap. XXI. Qui fuerint immunes militâ. Saulis severitas in cogendo milite.  
Pœnæ in eos sancitæ, qui sacramentum detrectarent. Vnde Flavius  
scripserit, deos peregrinos in bello non violandos Iudæis. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65527](#)

cerdotem creabant, qui exercitum alloqueretur sub tempus prælia, ungebantque eum oleo sacro. Atque hic ille est, qui **תְּשׁוֹר הַמְלָכִים** hoc est, prælia causa illæ dicebatur. Oratio ejus, qua ad populum usus est, recitatur in Deuteronomii capite xx, fuitque ejusmodi: *Eia, audite Israelitæ. Vos proceditis hodie in prælium contra hostes vestros. Ne mollescat cor vestrum, ne trepidate aut expavescite metu eorum. Progreditur enim vobiscum in expeditione Deus vester, pugnatque cum hostibus vestris, uti servet vos.* Refert Maimonides etiam alia verba, quæ sacerdos ille ex tabula aut libro publice pronuntiavit, non sub ipsam pugnam hercle, sed tunc, cum ad bellum exiret populus. Sed nos tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa hac non inferemus.

## C A P V T XXI.

*Qui fuerint immunes militia. Saulis se veritas in cogendo milite. Tœna in eos sanctæ, qui sacramentum detrectarent. Vnde Flavius scripsit, deos per reginos in bello non violandos Iudeos. Laudabilis Iudeorum religio, cum Beli aedes refecta ab Alexandro est.*

**I**N Deuteronomio privilegia quorundam recensentur, quibus vacatio mili-

militiae concessa ad breve tempus fuit: inter quos fuere, qui recens vineam plantassent, quique extruxissent novam domum, tum qui sponsi aut novi mariti essent. Ex quo certe constat, munia militiae non eos duntaxat subiisse, qui ultro nomen dabant, sed quoscunque rex, populive ductor ad sacramentum adegit: ut jam hoc totum necessitatis fuerit, non arbitrii. Utique Saul quidem, cum arma capessere omnes veller, membra duorum boum frustillatim concisa per duodecim Israelitarum tribus circummisit, interminatus hoc idem se facturum armentis eorum, qui sequi se ad bellum recusassent. Quare profecto jam non sine exemplo est Romanorum severitas, in quorum institutis olim erat, ut, qui ad delectum non respondissent, tanquam proditores libertatis in servitatem redigerentur: qui vero filium suum militiae subtraxisset, in pace fustibus caderetur, belli tempore exilio & bonorum parte multaretur. Quæ sic relata ex Carrii Menandri libris sunt in l. 4. §. 10. & 11. ff. de re militari. Divus quidem Augustus equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bona que sub-

jecit hastæ. & præceptum Divi Trajani  
fuit, ut hujusmodi parentes deporta-  
rentur. Non uno edicto maximus le-  
gislator Moses Israelitis præceperat, ut  
terram hostilem armis ingressi, simu-  
lakra omnia, templaque, & altaria  
Deorum diruerent, quos cæteræ na-  
tiones per errorem coluissent. Ait ta-  
men Flavius<sup>1</sup>, lege Mosaica constitu-  
tum fuisse, μήτε χλωδέσθε,  
μήτε βλασφημεῖτε τοὺς γορυζόμενούς  
Τεχεπάρ ἐπεργίαις αὐτῆς εὐεητε περι-  
τεριας τοῦ Ιησοῦ. ne quis eos derideret, quos  
gentium aliarum opinio Deos confinxit,  
neve quisquam male illis diceret, saltem  
enim prodeesse illis honorem tanti nominis  
debere. Nos ex qua Pentateuhi parte il-  
lud Flavius in sua scripta transtulerit,  
divinare non possumus. Quin existi-  
mamus potius, hallucinatum eum es-  
se, neque intelllexisse verba ea, quæ in  
Exodi capite xxii scripta in hunc mo-  
dum sunt, נְקָדֵת אֱלֹהִים non execra-  
beris deos. quæ profecto in eam senten-  
tiā accipienda sunt, ut significetur,  
sacrosanctos esse rerum publicarum  
moderatores, qui in terris vice numi-  
nis funguntur. Illud vero, quod in ea-  
dem dissertatione Flavius adversus A-  
pionem

---

<sup>1</sup> In. Apolog. adversus Apionem.

pionem adducit, magis ex vero est, & militum Iudæorum suminam constantiam in retinendis patriis legibus arguit. Ex Hecatæi enim, maximi scriptoris, commentariis prodit, qua tempestate olim Alexander Babylone erat, & ad instaurandum Beli templum, quod corruerat, cunctos milites aggere terram jubebat, solos Iudæos imperia ejus detrectasse, & verbera multa tulisse, atque graviter multatos esse, donec tandem illis & ignovit rex, & securitatem præstítit.

## CAPUT XXII.

Sabbatorum observatio Iudeis sape noxia in bello. Ea supersticio animis hominum exempta per Matthiam Hassmannum. Stratonica febriculosa pietas. Auspiciorum atque omnium vis à Mosollamo, acerrimo milite Iudeo, elusa. Ostenta & omina esse in potestate mortaliū. Lex divina de sexuum distincto habitu non intellecta à Flavia. Adulterarum toga apud Romanos. Charondæ miles stolatus. Medorum Persarumque mollities.

**D**Vm in his sumus, non prætermittendum est, quod Maimonides notavit, שארין עי עניות כו'ם נשבת וועשי

O 3